



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

1. De exercitio operum humilium, Religiosis convenientum. Thema. Vilior
fiam plùs, quàm factus sum; & ero humilis in oculis meis. 2. Reg. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

REGULA XIII. SUMMARII
DE EXERCITIO OPERUM HUMILIORUM.
EXHORTATIO I.
IN EANDEM.

Proponit suscipienda esse ea opera humilitatis, à quibus sensus magis abhorret.

T H E M A.

Vilior fiam, plus quam factus sum, & ero humilis in oculis meis. 2. Reg. 6. 22.

Vel ex Regula.

Vel: *In exercendis operibus humilibus promptius ea suscipi convenit, à quibus sensus magis abhorrebit. Reg. 13.*



David in flore juvena etiamnum constitutus, cum inter fratres minimus esset, aliis martem prosequentibus, & volitantibus in armis, ipse ad custodiendos ovium greges à parente amandatus est. Eo in munere exercebat sese paulatim, majora indies fortitudinis & victoriæ specimina præbendo, gregemque à bestiis propugnando: & primò quidem ursum, agniculum fortè quempiam, innat à ferocia aggredi parantem. invalit, stravit, enecuit: hanc victoriâ parvâ animatus, leonem quoque irruentem, atque è grege

vervecem, rictu, unguibusque apprehensum, rapere ac dilaniare mortem, fortiter tenuit, & pedes liberatè interemit; quibus victoriis in tantum juveni increvit animus, ut deinceps difficiliora etiam certamina haud retumidârit. Novitii, quemadmodum David, in Religione Fratres sunt minimi; qui. Fratribus natu majoribus in campum prodeuntibus, & contra hostes hygios pro salute animarum dimicantibus, custodiunt gregem suum, suos nimirum sensus, cupiditates & potentias, quo in munere S. Patriarcha noster eos morem animùmque Davidis induere exoptat; ac methodum eximiam sensus & vitia debellandi suggerit; ut scilicet, nauseæ & horrori in operibus vilibus at-

que abjectis, instar ursi aut leonis in eos
irruenti, animosè resistent, ac fortiter re-
pellant, & hac ratione à facilioribus, ad
difficiliora, magisque ardua certamina
& victorias assurgant.

Id quod præsentè exhortatione de-
clarabimus.

I. Primò igitur vincendus ursus, in
nos, operibus humilibus intentos, insili-
ens; qui prosternitur, dum calcata sen-
sualitatis repugnantia, horroreque re-
pullo, functiones humiles magnà ala-
criteate & promptitudine obimus. E-
jusmodi officia abjecta ac humilia cen-
sentur, quæ ab hominum fæce & me-
diallinis exerceri solita, à mundo, vilia
reputantur; hominèque primarij ab-
horrent, & dedignantur: Religiosi verò
virtutis assequendæ Christi que imitan-
di studio, ultro suscipiunt. Qualia sunt,
scopis pavementum evertere, lances
tergere, ollas, cacabosque mundare, co-
co in culina ministerii operam navare;
peregrè adventantibus pedes abluerè,
in Nosocomio, aut gomi infirmis mini-
strare, cibos mensæ inferre; aliæque si-
milia, quibus S. Fundator noster Tyro-
nes exerceri, ac probari desiderat, Cap.
4. Exam. Ut hoc modo sensualitatem
tubigant, saltum deponant, humilitate
que virtutem acquirant: ejusmodi enim
functiones humiles & in opinione vul-
gi viles, ad animi demissionem mirifice
conducunt: *Humiliato enim corpore, humili-
atur & anima*, ut ait S. Doroth. serm. 2.

At hic occurrit interdum ursus par-
vulus in nos insiliens & agniculum auf-
ferre parans; quando nimirum caro re-
pugnat, quando difficultas se ingerit,
sensus abhorret, jam calor, jam frigus,

jam fœtor, jam fœditas nauseam ac fa-
stidium parit; jam ipsa laboris mole-
stia, inclinationi nostræ adversa tetra-
hit & retardat. Verùm ursus hic gene-
rosè invadendus est, & nullo negotio
sternetur: modò insultum ejus retun-
dendi methodum calleamus. Quamam
verò ista methodus? Sumendum illico
scutum fidei: capiti imponenda salutis
galea; stringendusque gladius Spiritus:
aut quod Jobi 4. suggeritur: *Pones circu-
lum in naribus ejus*. Ursus molles & per-
acris sensus nares habet: inferè illis cir-
culum & domabis. Cogita circum vel
annulum æternitatis omni sine caren-
tem: pensa laboris, nauseæ, aut molestiæ
brevitatem, æternitatis longitudinem,
bonorum futurorum, quæ humilitate ac
patientia acquiruntur, diuturnitatem;
& exemplo horror concidet, & mole-
stia, asperitasque lenietur. Est, fœtor, dif-
ficultas nonnulla in ejusmodi operibus,
ac victoriis, sed semper tendit in ardua
virtus: *ὀξυλόα, ταχέα*: difficilia quæ
pulchra. Quis nobilis, quis heros & ath-
leta, in acquisitione gloriæ sensum non
superat? Quod incipientibus difficile,
proficientibus facile, jucundum perfe-
ctis accidit: & vel ex hoc collige, in quo
perfectionis gradu verseris. S. Fundator
noster de quopiam Fratre nostro mura-
rio, Antonio nomine, assererat: Quot
collocabat lateres, quoties tundeat
malleo quoties calcem apponebat, tot
sibi in cælo coronas adornabat. Simili
modo de operibus humilibus dicere li-
cebit: quot lances tergis, quot mensæ
inferes, quot pulveres everris, tot
coronas & diademata in cælesti gloria
tibi fabricas.

N n 3

Alium

Alium vincendi modum suppeditat obedientia; quam in præsentè Regula Legislator insinuat hisce verbis: *Si injunctum fuerit, ut in eis se exercent.* Si itaque sensus abhorreat, si repugnantia se prodatur, extemplò clypeum obedientiæ oppone: Obedientia imperat, ac per illam DEUS mandat: quare parendum est, cedendum est, quamvis corruptæ naturæ, sensualitatque vis nonnulla inferenda veniat: Dic cum Prophetâ Regio Psal. 72. *Ut jumentum factus sum apud te.* Ideoque onera religionis feram, vilissimæque obibo libens munia, propter te, DEUS, & propter nomen sanctum tuum, qui equum curru jungit, licet is fremat ac recalcitret, constanter tamen illi jugum imponit, & aratro, eurrive adaptat, atque ad trahendum scuticâ propellit. Religiosus, ait S. Basilius, *se Dei in Religione mancipium esse arbitretur*, adeoque intra terminos servitutis se contineat, ex aliena, non suâ voluntate cuncta peragat, mancipii que instar ex arbitrio Domini semper dependeat.

Charitas quòque animat, & ad usum istum superandum roborat: vilia enim officia minimè aestimanda sunt abjecta ac vilia; sed pretiosa & excellentia; utpotè à Caritate, virtutum omnium Reginâ, imperata, nobilitata ac inaurata; cum ex amore erga Deum & Proximum obeantur. Mundani corticem duntaxat exteriorem respicientes, ea vilia autumant & despecta; at cælestes Genii, virique perfectione conspicui latentem charitatem insuentes pretiosissima reputant. Hos inter S. Basilius in Constit. monast. c. 24. ait: *Debet cultor*

pietatis viliora etiam munia magno studio, atque animi alacritate suscipere; scireque nihil esse minutum & vile, quod Dei causâ fiat: sed grande & spirituale, hujusmodi, quod cælum nobis & præmia cælestia conciliet.

Aliam ad usum hunc detrimendum praxin docet nos S. Franciscus Borgia è Duce Gandiæ Tertius Societatis Jesu Præpositus Generalis; armis propriis hostem jugulare solitus. Vergebatur is in Xenodochio, inter pauperes & hominum quisquillas; quando humanâ specie Cacodæmonem superbè appellentem audit: *Quid tibi hic negotium? Tantius enim sis, in hominum face qui versaris? Retudit saltim Franciscus: Equidem miror magis te tam superbo predictum ingenio, miserum me atque peccatorem appellare dignatum.* Neque ullus dubitandi locus relinquitur, quin idem generis humani hostis, eundem Vicum sanctum, sub vitâ potissimum religiosæ primordia, summo studio in omnia sensualitati atque astimationi propria contraria incumbentem, rostro ac unguibus urinis perierit. Dum enim in Ognateni Tyrocio ipse etiamnum Tiro operam coco juvando constanter addiceret, Sociorum communè servum, Domûsque mediastinum ageret, signa & aquam comportaret; verreret pavimentum, lances & ollas mundaret, omniâque tyronis ex infima condicione munia obiret: pedibus etiam singulorum exoculandis identidem advolveretur, errata sua, lapsûsque deprecaretur, ac publicas reprehensiones & poenas flagitaret: Ad hæc dum exerraret in pagis vicinos, sacco mendicantium mort

onustus, panem ostiatim, & stipem mendicaret, alias tintinnabulo pueros convocaret; longo ordine eosdem ad templum vel forum eanentes duceret, ibidemque explicaret Fidei rudimenta & quæ interrogando qua scriptis eadem repetendo inculcasset; quis Ursum stygnum scriptis in ipsum inhiisse, & vel Ducis Gandia dignitatem, vel operum illorum vilitatem objectasse ambigat? Quis quoque Ursum hunc consueto gladio: *Franciscus peccator* (quod nomen hoc proprium fecerat) jugulatum fuisse, in dubium revocat?

Inhiërat sane in Ironem quempiam Septimanæ; qui à lancium sordibus purgandis penitus abhorrebat; & invitæque hoc onus, cetera perlibenter suscipiebat. Accidit fortè ut Septimanam veniret S. Franciscus Borgias; qui ut Novitii hæc in parte difficultatem accepit, quò metum inanem illi eximeret, eo labore persansctus, altero spectante, aquam sordibus inde inquinatam toto ore haurit, hoc spectaculo fractus Adolefcens, ad pedes illi accedit, veniæque exorata, horrorem nullum amplius aut nauseam expertus est. *Tanner. pag. 127.*

II. Debellato Urso, ad robustiora certamina paulatim ascenditur, & cum Davide Leo prosternitur; in quo gravior difficultas cernitur, quæ à levioribus ad difficiliora scandendo superatur. S. Indarum Apostolus Xaverius Lib. 1. Epist. 5. Literis ad Socios Goanos exaratis hæc inseruit: *Fortassis intra biennium plurimos vestrum in Japoniam per literas evocabo. Ubi utique Leones plurimos id est objecta ardua superanda*

occurrent, ubi opera heroica Heroibus generosis digna exantlanda se offerent. Verùm quinnam sanctus hic Thaumaturgus requirit interea animi præparationem? *Proinde* (inquit) *meditamini interea, ac diligenter colite humilitatem; omnibus in rebus, a quibus depravata natura abhorret, vos ipsi vincite.* Hæc victoriæ eluctabimini ad ardua, heroicæque facinora.

Ea quippe facta Heroum, magnorumque Sanctorum intelligo, quibus ipsi insolitatis, raris, eximisque victoriis, seipfos ad stuporem magis aliorum, quam ad imitationem devicerunt; stygiosque Leones confuderunt, aut Spiritus sancti peculiari instinctu, aut obedientiæ expressæ permisso, ac proinde Tyronibus, nisi duce obedientiâ, Superiorumque facultate obtentâ, minime æmulanda.

Leonem hujusmodi, & naturæ horrorem devicit S. Patriarcha noster Ignatius, quando Manresæ in hospitali domo ministravit ægrotis, & pus non semel ex ulceribus eorum batit. *Tanner. pag. 4.* Leonem similem stravit Sanctus Franciscus Xaverius, quando exemplo S. Catharinæ Senensis Venetiis in hospitali incurabili, ut vocant, ægris serviens pus ex eorum ulceribus exfluxit, ut sensus sui delicatioris fastidia frangeret; & quam purulenta & graveolentia illa semi-cadavera tractans refugam sentiebat nauseam, forti Caritatis violentia ulcisceretur. *Bartolus in vita L. 1. m. 4.* Leonem æquæ, si non magis ferocem superavit V. P. Bernardus Colnago, quando sepulchrale Collegii conditorium ingressus, ibique

ibique recens defuncti Patris Theologi
 cranium manibus prehensum diu
 tenuit, verbis tenerrimis allocutus fuit,
 ac mundi, carnis, sui que victor egregius
 defluam ex putrefacto capite tabem,
 quæ manibus infusa erat, ingenti Spiritu
 hausit; duo inde rara cæli dona conse-
 cutus; scilicet ut nullas ex eo tempore
 fordes, tabemque ægrotorum salidiret;
 & miro pietatis sensu, & cælesti qua-
 dam dulcedine semper deinceps liqui-
 dō perfunderetur. Joannes Paulinus in
 vita L. 2. c. 19. §. 6.

Neque recentiorum pugilum, cum e-
 jusmodi leonibus duellantium præclara
 defun. exempla: atque ut è sexu fragi-
 liore unum atroxamus. Obiit ætate mun-
 dæ anno 1686. 26. Julii. Venerabilis &
 opinione non vulgaris sanctitatis con-
 spicua, Virgo Deo Devota, Joanna de
 Randerath, ingenti & ad stuporem fer-
 vido sui vincendi Spiritu semper inflam-
 mata; quæ S. Franciscum Xaverium i-
 mitandi desiderio, petita obtenta que à
 Conscientiæ arbitrio facultate, è cufus-
 dam virginis foetenti ulcere, pus magno
 fervore hausit: ac denuò petita veniã,
 ternarum Salutationum Angelicarum
 spatium lambendo & exfugendo idem
 ulcus insumpfit, eoque peracto magnas
 Patri pro indulto hoc favore grates re-
 tulit. Eadem Virgo reperit fortè in hor-
 to suo, molles, sit venia verbo, felis for-
 des, vetribus scatentes, quibus conspe-
 ctis sub initium eo perculsa horrore fuit,
 ut ocyus profugeret; mox tamen re-
 sumptis animis redux, quo nauseam ge-
 nerolius vinceret, prona faciem in sor-
 dibus istis diu multumque volutavit,
 lingua allambit; idque non unã dunca-

xat vice, sed totius hebdomadiæ decurrit
 quotidie. Verè heroina, sui domandi
 cupidissima.

Sed ne longè abeamus, vel in hac ip-
 sa Probationis Domo Trevirensi (ubi
 hæc scribimus) hujusmodi victoriæ ho-
 culenta exempla non desideramus. Vi-
 xit in ea R. P. Mauritius de Büren, vir in
 sæculo magnus, illustrissimæ suæ fami-
 liæ, antiquissimorum Baronum & Dyn-
 nastarum Bürenium superites ultimus,
 Cæsari à consiliis intimis, & Camera
 Imperialis Spirensis Præses: is ubi reli-
 cto Baronatu Burano, nec non Gellano,
 Ringelsteiniano, ac Volterranis Do-
 minis, has probationis ædes subit, inter
 victoriæ sui strenuè se totum impendit,
 verè implens illud Ecclesiasticū: *Quantus
 magnus es, humilia te in omnibus, & cum
 Deo invenies gratiam.* Quare non solum
 utros, opera humillima obeundo, Cocus
 in culina ministris ferviendo, stibium
 purgando, domum verrendo, lan-
 ces tergendo, devicit; verum etiam le-
 nem superavit. Accidit enim ut Cocus
 accedens servitia sua oblaturus, eundem
 in evacuanda fovea, in quam culina for-
 des defluunt, occupatum reperiret, in-
 terrogaretque, si quid agendum foret,
 aut num opem in aliquo ferre posset:
 subinfert Cocus, si placet me juvare, gra-
 tum accidet: placet enim vero ait P.
 Mauritius, foveamque istam usque ad
 fundum exhaulit. Eoque peracto, de sui
 victoriæ gaudere ac tripudiare est visus.
 Ut vita ejus manuscripta perhibet. Ex-
 emplo hoc animati, dum ante biennium
 eadē cloaca, integræ diei spatio, curam
 implendo & attrahendo per funes, o-
 vacugetur, Tyrones complures, ubi
 manum

manum admovère, opemque fortiter
& constanter tulere, non sine sui
victoriâ.

Quapropter, Dilectissimi, secundum
hanc Regulam strenue exerceamus nos
in iis operibus vilibus atque abjectis,
à quibus sensus noster delicatior magis
abhorret: Et si ursus quispiam nobis
occurrerit, id est, si nausea, si fastidium
aut horror nos inceslerit, circulo æterni-
tatis eum compescamus, aut obedientiæ
ac caritatis freno eum cohibeamus,

ne nos mordeat. Ita paulatim cum
Davide animos erigemus, confortabi-
murque ad Leonem quòque aggredi-
endum, sed non nisi quando vehemens
Spiritus Sancti impulsus nos urserit, &
Superiorum, Dei locum tenentium,
facultas ejusmodi inusitata indulserit.
Quod si præstiterimus, non solum victo-
riam plenam sensualitatis; sed etiam
profundissimæ demissionis & obe-
dientiæ virtutem, Deo adjuvan-
te, reportabimus.

EXHORTATIO II. IN REGULAM XIII. SUMMARI.

Suadet amplectendas sui confusiones.

T H E M A.

Proposito sibi gaudio sustulit crucem confusione contemptâ.

Hebr. 12. 2.

Vel ex Regula.

DAVID, in vernantis
ætatis flore ad gregis
custodiam à Patre
ablegatus; à minore
paulatim ad majus
fortitudinis speci-
men edendum commissus est; nam primo
certamine Ursum trucidavit; deinde
Leonem in frustra discepit; denique
Goliathum Philisthæorum Gigantem,
virum robore validum, animo tumidum,

staturâ procerum, audaciâ ferocem,
loricæ, galeæ, hastæ & gladii armaturâ
præfidentem aggredi, & cominus
cum eo decertare non est reveritus. Et
quamvis in arenam descendere paranti
Saul Rex oggereret. 1. Reg. 17. 33.
*Non vales resistere Philisthæo isti, quia
puer es, hic autem vir Bellator est ab ado-
lescentia sua.* David tamen animum
non despondit; sed Regem bono animo
esse iussit, & adductis prioribus fortitu-
dinis

o o

o o